proximi plerumque adoleſcentibus ſint cupidiores. Ita avaritia ſuas auget vires cum natura imminuit ſuas. Seneſcens homo infirmatur, ſed avaritia ſeneſcens convaleſcit. *Ibidem ſermone ſequenti.*

Ratio, cur difficulter expellatur avaritia.

Sanctus Chryſoſtomus hac in re egregiam adfert ſententiam: ait enim, Deum ubi reliquis animi ægritudinibus medelam adfert, non alium obicem invenire præter vitium virtuti, quam ſtatuere vult, oppoſitum. Vult exempli gratia in corde aliquo infundere humilitatem; illi ambitio tantum adverſatur; ſuavitatem ac manſuetudinem inſerere cupienti, ira ſolum obſiſtit, & ſic de reliquis: ſed ubi vellit immittere temporalium bonorum contemptum; non avaritia ſolum, ſed reliquæ aliæ animi ægritudines, omniaque ſcelera obſiſtunt, eo *quod radix omnium malorum eſt cupiditas*. Ita affectus omnes, omniaque vitia opem ferunt avaritiæ, ne ejiciatur; & gratia tantum, ac tam validum obicem invenit, ut nihil in avari corde operetur. *Idem.*

Non ſatis fuit JESU CHRISTO difficultatem oſtendere converſionis avari, petita comparatione vel ex craſſiori fune, vel camelo, qui per acus foramen traduci minime poteſt: Voluit etiam terribilem hanc veritatem in Judæ perſona, nobis exhiberi in Evangelium. Hunc in Apoſtolorum ſuorum albo JESUS deſcripſerat; illum terrena hæc contemnenda eſſe, & exemplo, & verbo docuerat; reliqui Apoſtoli idem oſtendebant exemplo, ſe quidquid poſſidebant, reliquiſſe: hæc tamen omnia illum non deterruerunt a crudeli conſilio vendendi, atque prodendi pro aliquot nummis Dominum ſuum. Nihil intentatum reliquit Salvator, ut illum converteret, ubique amorem ſuum eidem teſtatus eſt, excepit illum ad menſam, eumque proprio ſuo corpore pavit. Heu miſer! quantumvis avarum ſit cor tuum, poſſeſſione Dei tui repleri non poteſt? In horto olivarum ſatellites omnes ceciderunt in terram; Judas unus proſtratus non fuit: idem immo JESUS CHRISTUS amplexus, atque deoſculatus eſt illum. Verum hęc omnia inſatiabile avari hujus cor flectere non potuerunt, prætulitque triginta argenteos magiſtro ſuo, Domino ſuo, ſaluti ſuæ, Deo ſuo. Peccavit quidem Sanctus Petrus, ſed ad unicum JESU CHRISTI intuitum ſeſe recepit. Sanctus Thomas fuit infidelis, ſed apertum Domini latus illi oculos aperuit. Magdalena ſeptem dæmonibus erat obſeſſa, ſed unica Salvatoris vox illius cor immutavit. Unus Judas eſt, in quo neque JESU CHRISTI intuitus, neque verba, neque doctrina, neque miracula ullam obtinent effectum. *Avari omnes*, Sanctus Chryſoſtomus hom. 81. ſuper Marcum ait, *graviſſimo Judæ morbo laborant*, omnibuſque metuendum eſt, ne quemadmodum criminis fuere participes, ſint etiam damnationis æternæ conſortes. Ex hoc exemplo occaſionem arripere poſſumus nobiſmet repræſentandi ſcelera, & mala, quæ parit avaritia, cæcitatem, quam menti offundit, corruptionem, qua cor replet, inſenſibilitatem, quam erga Deum inſpirat, & funeſtam impœnitentiam, cujus fons eſt, homines in certiſſimum damnationis periculum adducens. Ita ſane conciperemus ideam, atque imaginem naturalem teterrimi hujus affectus, ita conciperemus ſpeciem aliquam calamitatis ejus, in quam hoc vitium præcipitem dedit Apoſtatam hunc calamitoſiſſimum, cujus memoria in æterna erit execratione. *Idem.*

De uſu a pernicioſiſſima avaritiæ ſpecie.

Cum hactenus de avaritia generatim verba fecerim, teterrimam quamdam illius ſpeciem oppugnare opus eſt: uſuram videlicet, crudele illud monſtrum, totius humani generis peſtem, peccatum quod in terris adeo familiare effectum eſt, cujus tamen probandi ratio eſt adinventa; crimen, quod amori proprio blanditur, ſcelus denique mentis & cordis ſuffragio defenſum. Auferamus tandem aliquando velum, quod tegit hoc monſtrum, ita ut horror illius ſatis appareat. Scio equidem non verſari nos amplius in ſæculo adeo rudi, in quo ex mera brutalitate vitia patrentur, peccare etiam cum quadam ratione cupimus. Hoc fœneratoribus præſertim accidit; neminem enim fortaſſe invenies, qui fœnora admittat, palam nefaria, & quæ ſibi mortalium omnium conflent contemptum, atque indignationem. Hoc inquam, hujus temporis fœneratoribus accidit, qui excogitarunt artem probandi ſæviſſimas uſuras, & cum ratione quadam miſerorum ſumptibus locupletandi: Quibus autem rationibus ad ſcelus probandum utantur, ſatis innoteſcit. Ajunt ſe metuere, ne in paupertatem decidant, niſi lucrum quærant ex pecunia; ſe nullam proximo ſuo injuriam inferre; non enim ille cogitur ad ea, quæ non vult; ſe eidem immo gratificari; nam illum ex ſqualore egeſtatis educunt, & eouſque procedunt, ut ex charitate Chriſtiana ſe agere glorientur. Artes inanes, ſpecioſa integumenta, quæ explodere facillimum eſt! *Ibidem ſermone feriæ ſecundæ Hebdomadæ ſanctæ.*

Confutatio rationum, quæ pro ſe afferunt fœneratores.

Te metuere, dicis, ne in paupertatem decidas, & niſi cum fœnore mutuum des, tibi quamprimum ea, quæ ad vivendum neceſſaria ſunt, defutura. At nonne vides, quam cauſam prætexis? nonne eadem ſceleratiſſimus quiſque fur, carnifex, latro, ſacrilegus, veneficus utitur? Ad ſcelera ſua probanda aliam ne cauſam afferre conſueverunt? Si ex aliis quærant Judices cur viatores diripuerint; ex aliis, cur veneno, & veneficiis intulerint necem; ex aliis, cur fratrum ſuorum ſanguinem tanta crudelitate effuderint, nonne eadem, ac tu reſpondebunt audacia; hanc ſibi mentem fuiſſe, ut de egeſtate poſſent emergere? O terræ Judices qui Dei viventis locum obtinetis! inanibus id genus excuſationibus non præbetis aures, & hi licet prætextus afferantur, non ideo minus in eadem ſcelera animadvertitis: neque tu illos in fœneratoribus audies Deus, ſed eorum injuſtitias ſuppliciis æternis percuties. *Idem.*

At enim nulli infers injuriam, non enim invito, ſed libentiſſime conſentienti das mutuum cum fœnore. Verumtamen primo falſum eſt illum, qui mutuatur libenter, ac plena cum libertate illatam vim pati. Egeſtas illa, qua laborat, ipſum cogit, ut tuis votis ſubſcribat, tibique bona ſua tradat, quemadmodum latroni diſtrictum enſem habenti traderet; hoc eſt, tibi tradere vult, quia illum cogis, ut velit. Nonne ridiculum eſſet affirmare latronem nullam intuliſſe injuriam, ac vim ei cui aurum eripuit in via, eo quod viator, auri potius, quam vitæ jacturam ſubire maluit? quod affers, non eſt minus abſurdum. Sed etiam ſi verum eſſet, qui pecuniam mutuatur abs te, plena voluntate, perfectaque libertate eum, quem exigis, tibi quæſtum permittere; non ideo minus peccares, peccatum enim non pendet ex intentione, & conſenſu illius, qui mutuatur, ſed ex ipſa fœnoris conditione. *Idem.*

Nonne etiam fœnerator ait ſe gratificari proximo ſuo, mutuam eidem præbendo pecuniam, atque pro collato munere ſibi etiam gratias & agi, & haberi? Verum profecto eſt, te illi eamdem gratiam, eumdemque favorem concedere, quem latrones, non interficientes eum, cui abſtulere pecuniam. Non aufers vitam fratri tuo; divitias aufers, O te miſerum, Sanctus Chryſoſtomus *hom. 5. ſuper Matth.* exclamat, ſimulans fratrem tuum ex gravi quodam malo eruere, in majus illud præcipitem das: ipſum manu in portu videris attrahere, ſed ut in deterius naufragium immittas, & eos in ſcopulos, quos ille non videt, allidas; *Fœnerator negotiatur aliena diſcrimina, & uberiores quæſtus de alterius infelicitate conſequitur: & quaſi in portum ex tempeſtate ſuſpiciens improviſo turbine in crudelius naufragium demergit.* Sæviſſimis etiam latronibus ſævior es: nemo enim ſe credit illis; at de te nemo diffidit: ſuppliciorum metus illos coercet, & vertit in fugam; ſed tu ſimulatio tibi animos facit, & turpiſſimam proditionem ſub pulcherrima virtutis ſpecie contegens impune tuas crudelitates exerces.

SUPPLEMENTUM.

Avaritia, Amor Divitiarum &c.

Quibus periculis ſe objiciat avarus ex Apoſtoli ſententia. *Ad Timotheum 1.*

GEntium Apoſtolus paucis nobis oſtendit pericula, quæ ſecum trahit amor auri, & Divitiarum, cum ait; *Radix Malorum omnium cupiditas*, & aſſerit ex hac cupiditate omnia emanare ſcelerum genera non ſecus ac ex virulenta radice mali fructus exiſtunt. Et ſane ex inordinata hac habendi libidine originem ducunt furta, concuſſiones, direptiones, mendacia, lites, falſa teſtimonia, perjuria, cædes. Ita eſt, inquit Apoſtolus, Avaritia vera eſt idololatria: *Avaritia, quod eſt idolorum ſervitus.* (*Ad Epheſ. 5.*) Cur hoc? Quia qui adhæret pecuniæ, hanc ſibi ſuum Deum conſtituit; hoc idolum eſt, cui cor ſuum ſacrificat, omneſque affectus ſuos. Parum intereſt utrum adoretur aurum ſub Jovis forma, an ſub illa ſignatæ pecuniæ; & ſi minus hæc eſt idololatria fidei, ſemper eſt facti; & ſe Idololatram fatetur, cujus cogitationes, curæ, vigiliæ, labores, motus, & contentiones unice ad hunc finem collimant habendi, congerendi, poſſidendi, theſauros theſauris accumulandi, quin aliud ſpectet, quam hoc miſerabile objectum. *Auctor recens.*

Quomodo pii homines poſſideant divitias, quin ſint avari.

Verum quidem eſt pios etiam homines nonnumquam poſſidere divitias, non ſecus ac malos, ſed inter utroſque magnum intercedit diſcrimen, non in acquiſitione ſolum, quæ in bonis ſemper juſta, atque legitima eſt, ſed etiam in modo illas poſſidendi. Pii illas poſſident, quin poſſideantur, illaſque ideo non ægre amittunt; cum mali ab opibus ſuis poſſideantur, neque ab illis ſine vi, atque mærore valeant divelli. Terræ bona virtute præditis ſunt tamquam veſtimentum, quo operimur, ſed quod facile abjicimus citra dolorem ..... Eorum plurimi, qui poſſident divitias, ſibi blandiuntur, ſe earum amore nequaquam teneri tunc cum illas maxime depereunt. At vultis ne videre, utrum taliter affecti ſitis, an imaginationis vęſtræ illuſione decipiamini? Qualiter voſmet affectos invenitis, cum aliquam non levem jacturam paſſi eſtis? Num turbamini, num ſolliciti eſtis, & inquieti? Nonne doletis eo uſque ut vix, & ne vix quidem ſolatium ferre valeatis? Hoc igitur argumento eſt, cor veſtrum iis adhæſiſſe bonis, vos illa nimio ardore adamaſſe; quoniam ſine dolore ferri non poteſt earum rerum jactura, quæ cum amore poſſidebantur. *Idem.*

Avaritia plerarumque ſollicitudinum hujus vitæ cauſa. *Ad Timotheum 1.*

Quot turbis eſſemus immunes, quot ſollicitudinibus vacui, ſi attente conſiderare vellemus, & in praxim redigere hoc maximi momenti monitum, quod nobis reliquit Apoſtolus: *Nihil intulimus in hunc Mundum: haud dubium, quod nec auferre quid poſſimus.* Nudi egreſſi ſumus ex noſtræ genitricis alvo, & nudi in terræ ſinum reverſuri ſumus. Quamobrem pergit Apoſtolus: *habentes alimenta, & quibus tegamur: his contenti ſimus.* (*1. Timoth. 6.*) Qui ſublimiorem formam ſunt nacti, Principes, & Reges ipſi nihil habent quod cupiant, quam victum ſuum; & qui in fortuna mediocri nil ultra deſiderant, fruuntur felicitate, ac requie toto cœlo magis conſtanti, quam omnes totius orbis Monarchæ. Quamvis in magnificis ædibus plurima abſumantur, ac menſæ dapibus numero carentibus inſtruantur, cuilibet convivæ parum ſatis eſt, ut nutriatur; & quid avaro prodeſt magnus auri, argentique cumulus; cujus uno tantum adſpectu fruitur. Igitur inutile eſt, vel potius crimінoſum adhærere divitiis, eaſque ultimum ſibi finem proponere. *Auctor recens.*

Has turbas evitare poſſumus, ſi nobis ſatis eſſe duxerimus, quæ neceſſaria nobis ſunt vitæ præſenti, quæ adeo brevis eſt.

Quid nobis opus eſt tot curis, tot deſideriis, tot ſollicitudinibus, ut locupletemur, quandoquidem nobis adeo pauca neceſſaria ſunt, & proprie loquendo iis tantum fruimur, quæ in quotidianos ſumptus erogamus? Et certe ſi quid intereſt pauperem inter, ac divitem; hoc eſt diſcrimen, quod pauper moriens pauca haud ægre relinquet, dives autem ægerrime relinquet plurima. Ratio medendi avaritiæ omnia habere volenti, eſt ſæpe animo recogitare mortem omnia diripientem. Hæc nos inſaniæ redarguit, ac perſuadet, ut minus ſolliciti ſimus hujus vitæ celeriter pertranſeuntis, & fulguris inſtar evaneſcentis, quam æternitatis alterius vitæ, quæ jamjam imminet nobis, ut fortaſſe duos tantum a nobis diſtet gradus. Stultitiæ hujus cupiditatis, quæ nos pro hoc mundo vexat, quem brevi relinquet, & quæ prohibet ne Avarus ſibi conſulat, quandoquidem ſibi ea denegat, quæ ad vitam ſunt maxime neceſſaria: Stultitiæ, inquam, huic opponenda eſt fidei ſapientia, quæ vitæ hujus inſtabilitatem, mortiſque certitudinem conſiderans, alteram quidem tamquam præteritam reſpicit, alteram vero tamquam præſentem; quæ alteram conſiderat velut umbram cito pertranſeuntem; alteram tamquam reale malum, quod evitari non poteſt. *Idem.*

Avaritia vitium eſt, quod anni augent, & permanet uſque ad mortem.

Pleræque aliæ cupiditates ætate reſtinguuntur, uni avaritiæ annorum lapſu, & ſenio novarum virum acceſſio fit. Senex Avarus pro auro magis furit, quam omnes prodigi adoleſcentes. Non quęrit amplius, unde in ſuas eroget voluptates vel ambitioni ſuæ ſatisfaciat: hujuſmodi cupiditates, ſi illis obnoxius fuit, mortuæ ſunt, vel jamjam morientes in corde illius; non amat amplius pecuniam, niſi propter ipſam. Dexterior, callidior, verſutior eſt, quam antea in arte parcitatis, fœnoris, extorſionis; ejus conſcientia magis occalluit, neque tangitur ultra verecundia, ſtimuliſque humanitatis, æternitatis, & Divinitatis. Quid igitur ex id genus hominibus expectare poteſtis? Niſi quod vitam divitum duxerint in ſuperbia, mollitie, libidine, ſævitia divitum morte moriantur? nempe percuſſi fulmine, quo reprobi ſolent, proſtrati inopinato aliquo telo jamdudum commeſſationum, & compotationum vaporibus ſenſim conflato, quod ſine fragore, ſine luce dilapſum ſtatim rationem opprimit, vincit ſenſus, ac ſinit, ut corpus ſe ipſum diſtorquens noviſſimis vitę momentis digladietur; vel e contra areſcentes, & per moleſtiſſimos languores ad mortem perducti, ut longis hauſtibus epotent amaritudinem diſcenſſionis, & dolorem, quo afficiuntur eo quod tot collegerint bona, & præſto ſint, ut allidant in ſcopulum, ubi naufragium evitari non poteſt. Ubinam tunc es, o Amor Dei? reverentia, ac timor Dei? Immerſi eſtis in ignorantia, in oblivione, in odio æternarum veritatum. Lingua vincta eſt, & mens clauſa omnibus cogitationibus ſalutis. Tamen ad peccatoris cubile Medici evocantur, & Notarii. Eorum monita ponderat, deliberat, dictat, ſignat, colligit omnes vires ſuas, & quidquid recti ſenſus illi reliquum eſt. Confeſſarius, Paſtor ad oſtium pulſat: ægrotus quieſcit, male noctem tranſegit; febris iterata eſt. Miniſtri Dei, qua patientia ferendæ ſunt vobis hæ divitum repulſæ, vobiſque ex eorum ore potius, quam corde evellenda ſunt verba, quibus fulti ſpem concipere velatis illos ſerio pœnituiſſe? Quoties non alium zeli veſtri, & veſtræ charitatis fructum retuliſtis, quam coegiſſe impietatem, ut ad vos decipiendos hyprocriſis perſonam indueret? Tamen decepti, ac ſpecie ſeducti, cum in corde perſonato veros ſenſus legere vobis negatum ſit, ad hanc adacti eſtis neceſſitatem morienti vitæ Sacramenta miniſtrandi. *P. de la Rue in Quadrageſima.*

Cæcitas Avarorum.

Nonne fremendi cauſa eſt audientibus obſtinatam miſeri Achan pertinaciam, qui cum ſacrilega aviditate, contra explicitum Dei imperium auſus fuiſſet ſibi vindicare pallium coccineum, auream virgam, & ducentos argenti ſiclos ex manubiis Jerichuntinis, non ignorans interdictum, & ſciens morte puniendum quicunque minimum aliquid ſurripuiſſet; videns Joſue, & omnes populi principes in nocentis perquiſitione maxime intentos, & videns etiam ſortes conjici ſuper omnes Tribus, ſecundum eorum temporum conſuetudinem ut reus detegeretur; tamen adhuc in peccato ſuo mordicus permanebat, jam certus conſilii, ſe numquam furtum nequiſſimum aperiturum! Quid ille cogitare poterat, ſeipſum pertinaciter objiciens periculo ſæviſſimæ, ac fere pręſentis lapidationis? Videbat jam ſortem cecidiſſe in Tribum Juda, quæ Tribus ſua erat; ex Tribu Juda in familiam Zare, quæ ſua erat familia, cecidiſſe, ex familia Zare cecidiſſe in domum Zabdi, qui avus ſuus erat. Hoc tempus erat, vel numquam, ſe reum confitendi, & veniam deprecandi; ſed illi dominabatur avaritia, ejuſque oculos claudebat iis omnibus, quæ illum impellere poterant, ut predam reſtitueret. Itane erat inſipiens ut crederet, vel minas irritas eſſe, vel ſe de Judicum manibus elapſurum, vel ſe illos ad lenitatem precibus, & lacrymis vocaturum, vel patronos ſibi non defuturos, vel ſortes, quæ in alios ceciderant, in ipſum nequaquam caſuras? Inanes illuſiones, quibus armari divites quærunt contra pœnas æternas capiti ſuo imminentes! Vident quotidie ob oculos ſuos ſimiles ſibi mori, ſed tamquam Atheos, tamquam illos, quorum ſalus jam conclamata eſt, tamquam belluas mori, ſine reſtitutione, ſine diſcuſſione bonorum male partorum, vel ſine ullo religionis ſenſu acquiſitorum. Numquid ſibi blandiri poſſunt, ſe alia morte perituros? finem eumdem, eamdemque ſortem in ſe nequaquam caſuram? O miſera faſcinatio? In præſentibus bonis immerſi, ad ea quæ futura ſunt, obſtupeſcunt; niſi hæc futura temporalia ſint, & peritura. Hac in re fateor illos eſſe vigilantes. Omnibus momentis mente ſua agitant, quonam poſt obitum ſuum bona ſua migrabunt, in quas manus deferentur, quomodo creditorum inſectationibus elabentur; quomodo illa filiis ſuis certa, ac propria efficere poterunt, eaque in familia ſua perennare. Hoc unum eſt illud futurum, quod reſpiciunt, ſola æternitas, quæ illorum excitat præcautiones; ideoque fiunt Teſtamenta, Codicilla, De-

BIBLIOTECA CENTRAL

BIBLIOTECA CENTRAL

Depoſita, Fidei-commiſſa, exhæredationes, ſubſtitutiones, aliaque id genus omnia. In ipſo etiam mortis lectulo avarus miſer invenit tempus, ac vim ſpiritus, quæ in has curas impendat. Hoc autem illene præſtat propter hæredum, & conſanguineorum amorem? Haud ita, ſed propter illuſionem amoris proprii, & amorem bonorum ſuorum, quibus adhæret. Hæredes ſuos reſpicit tamquam ſui ipſius partem; relinquens illi cor ſuum in theſauro ſuo contentum, putat ſibi poſt mortem quoddam proprietatis jus reſervare in fluxa bona, quorum eos potius ſequeſtres facit, quam dominos. Dicens volo, & jubeo, credit ſe dominationem, voluntatemque ſuam in bona ſua uſque in remotiſſima ſæcula protendere. *P. Rueus in Quadrageſima.*

Ratio cognoſcendi an divitiarum amor legitimus ſit, necne.

Vultiſne videre, utrum amor, quo divitias proſequimini, legitimus ſit, an noxius? experimentum tutum eſt, & facile: ad examen revocate effectum quem producit in corde. Numquid ſurripit aliquid Deo? illine ſemper abſolutum relinquit imperium? Num aliquid vobis ſuadet, quod vos contra legem pertinaces efficiat? relinquit ne vos ita affectos, ut, velut Abraham, parati ſitis ad eumdum, quocumque vos mittat Deus? ad ejiciendam ex domo veſtra Agar cum Iſmaele ſuo, ad ſacrificandum etiam ſi opus fuerit dilectiſſimum unigenitum Iſaac? Tunc inter bona, & vitæ hujus delitias eritis, ut Abraham, fideles amori erga Deum: ſed ſtatim ac poſſeſſio horum bonorum, & delitiarum in animum veſtrum, non ſecus ac in malum divitem injiciet ſecretam in ſcelus proclivitatem, frigus in Dei charitate, contemptum officiorum juſtitiæ, & charitatis, ſalutiſque veſtræ negligentiam, & oblivionem: jam Deus non magis eſt in corde veſtro, quam in mali divitis corde; non amatis amplius Deum bonorum omnium Creatorem, fragilia dumtaxat bona, non autem æterna diligitis. *P. de la Rue, in Quadrageſima.*

Deus colendus eſt, Deo ſerviendum eſt, quod ſecundum JESU CHRISTI ſententiam, mammonæ ſervus præſtare nequit, non ſolum, quia generatim: *nemo poteſt duobus Dominis ſervire*, verum etiam quia peculiariter, Deo ſimul, & mammonæ nemo ſervire poteſt. *Non poteſtis Deo ſervire, & Mammonæ.* Hic avaritiæ demon mutuatur imagines omnium mundi Principum, iiſque in auro argentoque cuſis efficit, ut in ſceleribus, quæ ſuadet, magis ſibi obediatur, quam Deo in officiis, atque virtutibus quas præſcribit. Dives hac dæmonis ſervitute oblectabitur; in hac dies ſuos traducet; in his noctes integras ſomniabit, experrectus ad illam ſuam cogitationem convertet; omnes illius artes meditabitur de hoc argumento Commentaria, & plura volumina conſcribet; neque circa aliud argumentum ſermo illius verſabitur, neque alium finem, vel ſcopum omnes ejuſdem actiones habebunt. Ita mammonæ ſervitur. Ecce S. Paulus ajebat, ſervitus ſimulacrorum, ſervitus pecuniæ: *Avaritia ſimulacrorum ſervitus.*

Coloſſ. 3. 5.

Sed hic pecuniæ cultor invenitne momentum in dies ſingulos, ut Deo vero ſuas preces effundat? habetne horæ dimidium in ſingulas hebdomadas, quo illum adoret? horam in ſingulos menſes, ut verbum illius audiat: Diem in annos ſingulos, ut Sacris ſe proluat Sacramentis? Dignaturne Deum invocare, Deum orare, de Deo cogitare, illum ſerio tamquam Dominum, Deumque ſuum revereri? habetne tempus, & otium? & hoc Deo ſervire appellatur? Haud ita; Unus Dominus, cui ultro ſervitur, verus eſt Dominus; *non poteſtis Deo ſervire, & Mammonæ. Idem.*

Ipſi fatentur homines, cum ſeſe immiſcet in negotiis avaritia, non licere amplius ſequi leges æquitatis.

Nulla, o Fideles, amplius eſt æquitas, ubi ſemel prævalet avaritia; quæ veritas conſtat adeo, ut homines, qui ad ſocietatem nati ſunt, & quorum omne commercium bonæ, mutuæque fidei incumbit, non agnoſcant amplius bonam hanc fidem, neque ſibi viciſſim credant, ubi in negotiis, quæ ab ipſis ultro citroque geruntur vel minimum quid avaritiæ commiſceri deprehendunt. Quantacumque ſit Judicis probitas, ſi in cauſa res agitur illius, recuſari poteſt, neque ille affici injuria putatur, ſi ad judicem alium fiat provocatio. Quantumvis aliunde irreprehenſibilis habeatur teſtis, ſi res illius cum teſtimonio ejus ſimul occurrunt; teſtimonium ipſius jam nullum eſt, quaſi homines communi conſenſu hanc ſibimet ultro citroque juſtitiam tribuant, ut cum de re agitur ſua pares minime ſunt ſervandis regulis juſtitiæ. *P. Bourdalove in Dominicis.*

Diſcrimen inter bonum malumque uſum divitiarum.

Docet nos in Scripturis Spiritus ſanctus, maledictum aliquod inhærere divitiis, cum ea legimus verba: *Væ vobis divitibus.* Non deerunt igitur divites damnandi: tamen juxta eamdem Scripturam, non deerunt, qui ſalvi fiant. Sed quinam divites ſalvabuntur? illi proculdubio, qui cæleſtia anteferunt bona, eaque ſortem ſuam putant; quibus curæ eſt, ut conceptus, quem de terræ bonis fovent, in mentibus ſuis longiſſime cedat bonis cœleſtibus. Beati divites, qui ita conſueverunt! & qui ſemper attenti ſunt, ne evertant ordinem divinæ Providentiæ in uſu divitiarum ſuarum, cum illis ſit perſuaſum, illas a Deo ſibi traditas tamquam adminicula idonea ad æterna acquirenda bona, illa pauperibus diſtribuendo. Verum ſi bene utentibus opes ſunt ſalutis adminicula: quot illi ſunt, quibus in damnationis cauſas vertuntur? Quorſum? Quia illos ad libidinem, molitiem, inſignem erga calamitoſos pauperes ſævitiam impellunt, ad ulteriora ſemper cupienda, adeoque illos in eum ſtatum adducunt, ubi non ſolum nequeant Cœlum cupere, ſed ne cogitare quidem. Mira humani ſpiritus oppoſitio, quod aliis eſt veluti gradus ut in Cœlum aſcendant, aliis ſit cauſa deterioris condemnationis, eo quod abutuntur iiſdem bonis, quæ Deus illis impertitur, ut ſe ſanctificent, & quæ illi in aliud quodvis impendunt præterquam in eum finem, in quem illa deſtinaverat Deus, abrenuntiantes cœleſti hæreditati eo quod ſtulte cogitant ſe æternum ſuper terram permanſuros. *Ex modo recitandi Orationem Dominicalem.*

Qui ea poſſident numquam ſaturantur; bona hæc augent deſiderium majora ſemper poſſidendi.

Sanctus Thomas non leve ſtatuit diſcrimen inter concupiſcentiam, & cupiditatem: cum illa ſedem ſuam habeat in appetitu ſenſitivo, ſuos limites habet; hæc vero in mente reſidens, nullos habet. Concupiſcentia ad bibendum, & manducandum impellit; ſed poſtquam manducatum, ac perpotatum eſt, tandem ceſſatur. Oppoſitum accidit cupiditati, nullos habet terminos in ſuis deſideriis; cujuſcumque rei poſſeſſio non ſatisfacit illi, & quia ejus deſideria infinita ſunt, accidit, ut licet expleri concupiſcentia poſſit, cupiditas minime poſſit. Quod Avarus poſſidet, illum non explet; quod habet, magis magiſque illius appetitum irritat, efficitque, ut cupiat quod minime poſſidet, & licet magna ſit affluentia eorum, quæ habet, ſemper illi deeſt aliquid, quod ardenter cupit, & ad quod indeſinenter anhelat. Ita cor humanum mundi hujus appetens bona fatigatur, & numquam expletur; bibit, ut ita dicam, quin relevet ſitim; quia nihil eorum, quæ habet, illi in pretio eſt; & ea tantum æſtimat, quæ præterea poſſet habere. Majori afficitur triſtitia ob ea, quæ nequit adipiſci, quam gaudio ob ea, quæ poſſidet, replet cor ſuum recentibus deſideriis eo ipſo temporis momento, quo illis torquetur. *Recens Auctor.*

Avari cor totius Mundi poſſeſſione repleri non poſſet.

Divitiarum amor ita excæcat cor eorum, a quibus poſſidentur, ut ipſi ne intelligant quidem, & prudentiæ, vel œconomiæ, vel alterius cujuslibet virtutis nomine appellent furentem hanc cupiditatem, quæ illos efficit Dei, hominum, & ſuimet ipſorum inimicos. Ita quidnam inſipientius, ſimulque crudelius eſt furenti invidia, & crudelitate, quas avarus in ſeipſum habet, & in alios? Quid tam barbarum eſt, quam nonniſi invitum aliis benefacere? quam animum avertere ab iis, quæ in nobis aliquam ciere poſſunt miſeri ordiam? quam claudere cor ſuum, ut ſemper inexplebile in ſua iniquitate permaneat? & denique quam eſſe tam induſtrium, atque immitem in ſeipſo torquendo, ut lugeat illum ipſum panem, quem comedit? Sanctus Auguſtinus jure teſtatur, ſe non ſatis mirari poſſe, undenam hæc inexplebilis hominum concupiſcentia procedere valeat; quandoquidem ipſa etiam bruta in deſideriis ſuis modum aliquem habent. Hæc extrudi non poſſunt, Pater laudatus ait, niſi cum eſuriunt, ſed cum ſaturata fuerint, non amplius prædam inſectantur. Una Avaritia limites ferre non poteſt in corde eorum, quos poſſidet; omnia devorat, quin repleatur; cupit, quidquid oculis ejus obvium eſt; & quodcumque poſſideat, totum etiam terrarum orbem, ut reor, nunquam illi ſatis eſt. *Idem.*

Avarus neque Deum, neque proximum amat.

Quomodo fieri poteſt, ut avarus Deo per amorem, tamquam Patri ſuo adhæreat? ut Deo non ſecus ac alii Fideles dicat: *Pater noſter, qui es in cœlis?* Ad id habendi eſſent illi pro fratribus omnes homines, eiſque in communi hæreditatis pars eſſet relinquenda. Frater eſt illorum; verum eſt, ſed quomodo Cain fuit fratris ſui Abel; quomodo ambitioſus Abimelech fratrum ſeptuaginta, quos inhumana cæde ambitioni ſuæ ad unum ſacrificavit. Abi, dives, teque offer Patri tuo communi; tu qui madeſ cruore fratrum tuorum, bonis eorum, quos diripuiſti, locupletatus, Patris nomen probrum eſt fratribus cæcis, nomen terroris, nomen horroris. Quomodonam illum amare poſſent? Sed habentne cor ut illum diligant? cor avarum aliquidne poteſt amare præter aurum, & voluptatem illud contemplandi? Quomodo autem cor ſeipſum transformat in id, quod amat; bonas illius, pravaſque induit qualitates, & mollibus affectionibus flectitur: ſumit quoque duritiem ejus metalli, quod veneratur: inflexibile eſt, impenetrabile omnibus miſericordiæ ſenſibus; omni caret miſeratione erga fratres ſuos, erga ſimiles ſibi: quomodo vero erga Deum non careat? Cain eſt, qui a Dei facie fugere quærit; qui Deum non reſpicit niſi tamquam irritatum Judicem, tamquam ultorem irreconciliabilem. Et ſub hac qualitate animum inducerene poteſt, ut de illo cogitet, niſi ut poſt reverentiam, & amorem, illius etiam timorem extinguat? *Pater de la Rue in Quadrageſima.*

Divitiarum amor fons multarum curarum.

Divitiarum amor plurimarum curarum fons eſt; nam, quin de omnibus loquamur vitiis, quæ hic amor gignit in anima, a quibus totidem veluti tortoribus dilaniatur, cogitare, quid ille per ſe immediate producat. Homo qui eodem tenetur, ullamne finem ſuis deſideriis conſtituit? Licet multa poſſideat, quam ardoris vim ſentit erga ea, quæ non habet? Quot labores, quot curæ, quot ſollicitudines, quot timores, quot amaritudines, ut ſervet, quæ adeptus eſt, & ea, quæ ſibi deſunt adipiſcatur? Verum ut melius intelligamus infelicem hominis ſtatum, qui divitiarum mancipium eſt, oculos convertite in felicitatem Juſti eas contemnentis. Quæ pax, quæ tranquillitas! *P. Segneri in Meditationibus.*

Avarorum paupertas.

Efficit avaritia, ut homines in egeſtate vivant, & moriantur; avarus pauper videtur, & eſt. Etenim ſeu fur illum de bonorum poſſeſſione dejiciat, ſeu inexplebilis cupiditas ſua ipſi eorum uſum interdicat, egeſtatis quidem principia ſunt alia, ſed effecta ſunt eadem. Avarus ex theſauro ſuo nil magis haurit, quam pauper ex egeſtate ſua: *Divites eguerunt, & eſurierunt.* Dicere poſſumus, avarum habere divitiarum ſuarum dominium, quin habeat uſum? Quam plorandus hic eſt, cui hæc cupiditas dominatur. *P. Croiſet in anno Chriſtiano.*

Pſal. 33.

Quam irrationabilis, & ſervilis eſt amor quo avari ſuas opes diligunt.

Diceres, faſcinationem non deeſſe: adeo irrationabilis & ſervilis eſt amor, quo avarus ſuas opes deperit. Opus eſt, animam ab illius corpore divelli morte, ut cor ab illius pecuniis ſejungatur. Quam turpe hoc eſt viro, cui honoris ſui cura adhuc eſt: Quanto autem turpius Chriſtiano, qui tenetur minus terræ bonis inhærere, quam ſi nihil poſſideret: *Tamquam non poſſidentes.* Si ridicula ſaltem cæna, quam avarus inſtruit populo, illius oculos aperire poſſet, eumque minus irrationabilem præbere, ejus morbus non omnino medicina careret: ſed id genus ægroti vix curari poſſunt: *Audiebant omnia hæc Phariſæi, qui erant avari, & deridebant.* Nulla cupiditas hac indocilior, ſicuti alitur in obſcuro, mentem animumque dejicit, & jam contemptui ſibiliſque aſſueta, nequaquam movetur ludibrio ridicularum cænarum, quas ſternit. *Idem.*

1. Cor. 7.

Luc. 16.

Divitiarũ amor efficit, ut labamur in laqueos dæmonis, roboratque in nobis cupiditatum imperium.

Quicumque divitiarum amore tenetur non levem tribuit victoriam contra ſe duobus potentiſſimis hoſtibus ſalutis ſuæ, ſpiritui tenebrarum, & concupiſcentiæ. Spiritus tenebrarum incipit aperiendo illi omnes diteſcendi vias, & oculos illius obſtruendo, ne videat ea, quæ efficere poſſent, ut ab illo nocentes judicarentur. Craſſiora fœnora, apertiores injuſtitiæ, omnia illi exhibentur ſub imagine quæſtus honeſti, quem negligere, prudentiæ non eſt. Ecce quæ vobis ſtruuntur inſidiæ; divitiarum eſca illecti, voſmet illis ingurgitabitis, neque inde emergetis. Eadem cupiditas, quæ effecit, ut illas conſectaremini, earum acquiſitionem probabit, nec reſtituitur unquam quod recte partum putatur. Secundo concupiſcentia vos in ſervitute detinebit tot vinculis, quot deſideria amor divitiarum effecit, ut foveretis: deſideria, quæ in infinitum multiplicantur. Etenim divitiarum amor eſt hirudo, quæ numquam dicit ſatis; deſideria inutilia, nam ut voti compos fieres, vel illa omnia explenda eſſent, quod nequis, vel omnia ſe movenda, quod minime vis, deſideria noxia; nam quin verba faciamus de obice, quem amor divitiarum ſaluti conſtituit, in nobis æternorum bonorum amorem extinguens, noſque inceſſanter opprimens curis peritura bona acquirendi; quot timoribus, quot ſollicitudinibus hac cupiditate jugiter non agitamur? *Pater Segneri in Meditationibus.*

Avarus belle mari comparatur omnes recipienti aquas, & numquam illas redденti.

Avarus paſſim mari comparatur; ſicut enim hoc in ſuum recipit ſinum omnes fluvios, & nihilominus nihil redundat, & licet plenum jam eſſe videatur, ſemper paratus eſt ad recentes aquas recipiendas; ita Avarus arcas ſuas pecuniis replet, ſed nihil inde redundat in proximum, & quamvis ipſe omnino ſuper ea, quæ neceſſaria ſunt habere videatur; nihilominus ſemper præſto eſt ad recipienda ea omnia, quæ ſeſe illi offerunt, & ad alia etiam cum quietis, vitæque ſuæ periculo conquirenda. Si principium acquiſitionis divitiarum, videlicet cupiditas, noxium eſt, non minus culpa carent adminicula, quibus utitur ad eas comparandas. Privati, qui ex redditibus ſuis vivunt ſine magiſtratibus, & officiis hac miſera cupiditate vacui non ſunt: quot enim cum patrimonii ſui redditibus miſcent alia bona fœnore parta ad theſauros ſuos cumulandos? Inter eos, qui mercaturæ vacant quot ſunt, qui per fraudes, ac illegitimas rationes ſuos augent quæſtus, & iis, qui parum callent meliores a ſequioribus merces dignoſcere, has pro illis obtrudunt? Quot inter optimates in dignitate conſtitutos munera accipiunt, ut oppreſſis jus dicant, quorum gratia, præſidiumque ſuum pretio venalia proſtant? Numerus caret numero: nihilominus omnes ſunt totidem avari. *Recens Auctor.*

Si principium, & media quibus avarus utitur ad opes acquirendas ſunt nequam, finis adhuc eſt nequior.

Finis, quem ſibi proponit aliquis in terrenorum bonorum acquiſitione, nequaquam magis culpa vacat, quam principium, & media; finis enim illius ponitur in hiſce bonis quin illis utatur ad vitam hanc traducendam, ad ſubveniendum neceſſitatibus ſuis, alienis autem opem ferendam. Cum juſte, ac fideliter laboribus exerceris ad tibi, filiiſque tuis victum comparandum, ad familiæ decorem, in quo Deus illam conſtituit, ſervandum, ad obediendum Deo hoc præcipienti; finis laudabilis eſt, & a Divina providentia præſcriptus. Sed divitiæ, quas tanta anxietate comparatis; hæreditates, quas tanta cura aliis ſuperadditis; lites, quas tanto labore ſuſcipitis, profuntne vobis, filiiſque veſtris, ut melius agnoſcatis, & diligatis Deum, eique ſerviatis! E contra omnia hæc vos a Sacramentorum frequentia, aliiſque pietatis operibus amovent; nam cum hæc bona potius vos ad Dei ſervitutem deberet impellere, vos ab eadem deterrent; quia omnes curas veſtras, & omne tempus traducitis ad veteres quidem opes ſervandas, recentes autem conquirendas; miſeras haſce divitias in præcipuum finem veſtrum convertitis, in illis requiem veſtram collocatis, & quin illis utamini, ut Deum impenſius colatis, & fratribus veſtris opitulemini, qui pauperes ſunt; nil horum facitis. *Idem.*

Divitiarum aviditas efficit, ut noſmet periculis omnibus ipſius etiam vitæ amittendæ objiciamus.

Motus, quibus ſeſe torquent mortales, ut aurum adipiſcantur, pœnæ, quas patiuntur, ut locupletentur, ſatis oſtendunt, quonam amore divitias proſequamur, & ſi ea, quæ pro aliquo patimur, argumento ſunt, illum a nobis impenſius amari; dicere poſſumus, nil eſſe in terris, quod magis ametur, quam divitiæ, quia nihil eſt, pro quo tot ſollicitudinibus torqueamur. Si pro Deo faceremus ac pateremur dimidium eorum, quæ pro pecunia facimus, & patimur, profecto inſignes Sancti evaderemus. Sanctus Franciſcus Xaverius querebatur, & ægre ferebat Mercatores ad extremos uſque orientis Indos penetraſſe, ut aurum lucraretur, antequam ipſe eo penetraſſet lucraturus animas Deo, Infidelium converſioni operam navans. Nobis par eſt cauſa, æque ac Sancto huic viro conquerendi, videntibus tot tantaque fieri pro argento, ac tam parum fieri pro Deo. Si hortamur homines ut ad concionem audiendam confluant, atque ſancta eruditione proficiant; ſexcentæ prætexuntur cauſæ, ne veniant: longe abſumus, inquiunt: dies pluvii ſunt, graviſſimis urgemur negotiis. Heu! Opes miſeræ vobis longe plures, gratioreſque illecebræ ſunt, quam Deo, & omnibus remunerationibus ejus. Nullus labor eſt, qui pro vobis

non perferatur, nulla tam avia loca, quo curſus non dirigatur; ultro, & alacriter vita ipſa in diſcrimen adducitur, etiam inter oceani procellas, atque tempeſtates; ſed ubi pro Deo gradus aliqui faciendi ſunt, ne domo quidem pes effertur. *Auctor recens.*

Pauperes eſſe poſſunt avari per deſiderium habendi quod minime habent.

Ne putetis Amorem divitiarum eſſe dumtaxat divitum, & ingentia poſſidentium bona; eſt etiam pauperum ſaltem ex æquo; & ſæpe pauperes tantum amant pecunias, quantum a divitibus adamantur. Cupiditas æque in paupertate, ac in divitiis invenitur; & paupertatis benedictiones æque, licet raro, inter divitias poſſunt inveniri. Non divitibus ſolum exprobrari infelix hæc cupiditas poteſt; hanc pauperes etiam ſibi applicare poſſunt, ſi amant opes, quas non habent; ſi animo inhærent ſcrutis, ac centonibus ſuis, exiguis ſuis facultatibus, arctæ ſupellectili ſuæ, æque ac divites ſuperbis ædibus, pretioſiſque periſtromatis; ſi parati ſunt ad pejerandum, ut aliquot lucrentur denarios, æque ac divites, ut ingentes opes acquirant; ſi parati ſunt ad minuta quædam ſurripienda, vel in modicis rebus fallendum, ubi illis adſit occaſio. Quid enim vobis prodeſt, Sanctus Auguſtinus ait, nulla poſſidere bona, ſi eorumdem flagratis cupiditate, ſi impenſius amantur ea, quæ poſſidentur, ſi plura poſſidentibus invidetur? Divites ſunt corde, ſi minus re; & hæc deſideria Cœli aditum obſtruunt. *Idem.*

Quæcumque hic cumulentur bona, cor nequit impleri, ſi propter æterna bona creatum ſit.

Si parumper animum ad Cœleſtia bona adverteremus, quam pauca nobis eſſent terrenorum bonorum deſideria? Quam nobis hæc ima vileſcerent! quantum nobis terrena ſordeſcerent, ſi ſaperent nobis Cœleſtia! Solæ divitiæ, quæ in Cœlo continentur, ſitim levare poſſunt cordis noſtri, ejuſque deſideriis omnino ſatisfacere. Omnes terræ hujus theſauri ne minimam quidem illius partem replere poſſunt. Nonne graviſſima inſania eſt ea ſemper cupere, quæ multiplicata appetitum irritant, & augent ſitim, quin illam extinguant, & circumferre, ut ita dicam, cogitationes ſuas per omnes hujus mundi theſauros, quin umquam invenire poſſimus, unde aviditatem noſtram expleamus? Amputanda igitur eſt hæc funeſta radix omnium malorum, nempe cupiditas, hæc furens habendi libido, atque cum Propheta dicendum eſt: Quidnam in Cœlo eſt, aut ſuper terram, quod tecum conferri mereatur, Deus meus? Quidnam eſt extra te, quod eſſe poſſit affectionum mearum objectum? Tu, Domine, es omnes divitiæ meæ, theſaurus meus, hæreditas, ad quam contendo. Eſto igitur objectum affectionum mearum, omniumque meorum deſideriorum; tu enim unus es requies animarum noſtrarum, ſummumque bonum noſtrum. *Auctor recens.*

Pſal. 72.

Avaritia fons eſt plurimorum malorum. Modus cognoſcendi an hoc nobis ſcelus adhæreat.

Admiramini quouſque Avaritia adigere valeat cor, ubi ſemel illi fuerit dominata. Noſtis odia, diſſidia, lites, cædes, quas auri, argentique cupiditas in mundo parit: hæc plerumque fons eſt nequiſſimorum ſcelerum. Deus meus cur mihi non licet omnium bonorum meorum jactura redimere peccata, quæ propter amorem divitiarum patravi! hoc faciam, Deus, impertiens pauperibus hoc bonum ipſum, tibi illum per pauperum manus referens. Hoc mihi fuit occaſio diſplicendi tibi, deinceps autem mihi erit tibi inſerviendi. Verum nonne crudelem hanc cupiditatem animo fovetis? Quomodo illam cognoſcere poteritis? Numquid inviti eleemoſynas erogatis? Numquid ægre æs alienum diſſolvitis, numquid cunctamini familiæ veſtræ, quod illi neceſſarium eſt dare? Quum vel alea ludentes, vel alio quovis caſu jacturam facitis, num turbamini? Num pro turpi quopiam lucro faciendo proditis Salvatorem? Numquid pro aliquot denariorum quæſtu proditis veritatem? Quod dedecus ita vertere terga Salvatori mundi, & pro nihilo illum derelinquere? O miſeri? Aurum te nimis hactenus amavi! tantumdem impoſterum odio mihi eris, quoniam tam ſæpe impuliſti me, ut Deum meum laceſſerem. *P. de la Colombiere.*

Divitiæ per ſe bonæ ſunt, & malæ ſunt, quia fere illis abutimur.

S. Auguſtinus egregie dixit, cum aurum, argentum, ac divitiæ a Deo creata fuerint, ex ſe, & ex natura ſua eſſe bona; nec eſſe mala niſi quod improbi abutuntur illis. Similes ſunt aquis Ægypti, quæ in Ægyptiorum manibus ſanguis erant, & in manibus Iſraelitarum aqua munda, & perſpicua. Ita in manibus impiorum divitiæ ſunt ſanguis propter recentia peccata, quorum committendorum inde occaſionem arripiunt; e contra vero in juſtorum manibus aqua ſunt munda, & ad abluendum aptiſſima. Idem Sanctus Doctor alibi ait: aurum ponite medium inter virum bonum, & nequam; ſi vir nequam illud accipit, ipſe hoc utitur ad pauperes opprimendos, ad corrumpendos judices, & leges omnes evertendas; ſin bonus accipiat, hoc utitur in alimoniam pauperum, ut nudos veſtibus tegat, ut infirmos, & oppreſſos recreet, atque redimat captivos. Opes fuerunt aqua pura, & pellucida in manibus Job, qui in Scripturis vocatur pauperum pater, oculus cæci, & pes claudi. Sed fuere ſanguis in manibus Evangelici Epulonis; quoniam fuerunt occaſio interitus illius eo, quod iis perperam uſus eſt. Sed quamvis ſit verum opes bonas eſſe vel malas pro bono, vel malo ipſarum uſu; nihilominus cum abuſus ſit uſu multo frequentior, ac ſæpius impedimento, quam adjumento ſunt ad ſalutem indipiſcendam, longe tutius eſt illis carere. *Auctor Recens.*

A Deo vocantur mammona iniquitatis, quia infrequentiſſimum eſt, illis bene uti. *Luc. 16. Epiſt. 15.*

S. Bernardus explicans illa Filii Dei verba, ubi terrenas opes, divitias iniquitatis appellat; *Mammona iniquitatis*; ait jure optimo hoc nomine nuncupari; ut plurimum enim alterutrum accidit, vel utrumque: hoc eſt illæ injuſtos efficiunt eos, a quibus poſſidentur; vel poſſidentur injuſtis rationibus quæſitæ. Hoc ipſum ſentit Sanctus Hieronymus, cum ait, divitiarum fontem aliquam ſemper injuſtitiæ ſpeciem præſeferre: *Vel iniquos fecerunt: vel ex iniquitatibus collectæ ſunt.* Illæ ex ſe non fluunt, ſed ex alicujus excidio. Nemo dives fit, quin alius fiat pauper; Nemo commodum accipit ſine alterius incommodo; Nihil invenitur, quod non amiſerit alter. Tres potiſſimum ſunt cauſæ, quæ oſtendunt, divitiarum acquiſitionem raro culpa vacare. Principium eſt cupiditas, quæ nequit expleri: media ut plurimum injuſta ſunt; finis vero eſt, ut affectibus propriis fiat ſatis. *Idem.*

Quomodo opes deteſtari debeamus, & illas in bonum convertere cum male partæ fuerunt. *Tob. 5.*

Si huc uſque tot curſus, atque itinera feciſtis, ut pecunias congereretis, & colligeretis ea, quæ vobis debebantur, dicite, quod olim Tobiæ mater verita, ne ulterius filium ſuum eſſet viſura: *Numquam fuiſſet iſta pecunia, pro qua miſimus eum.* Numquam fuiſſet iſta pecunia, vobis dicendum eſt, quæ nobis tot curas, & ſollicitudines peperit! Numquam fuiſſet iſta pecunia, quæ nos propter amorem ſuum a Dei ſocietate ſecrevit! Numquam fuiſſet iſta pecunia; præſtat eſſe pauperem, & ſalvari, quam divitem, ac damnari. Si hactenus publicis irretitus fuiſti vectigalibus, ubi ſcis te populis aliquid ſurripuiſſe; ſi parum habens bonorum præcipiti feſtinatione per fas, & nefas locupletatus es, dic ut olim Zachæus: *Dimidium bonorum meorum do pauperibus; & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Salvari volo; & quocumque pretio hoc ſtatutum ſit, volo: reſtitutiones, eleemoſynæ, liberalitates, nihil mihi grave videbitur. Cum te ipſa omnem terrarum orbem lucratus fueris, omnium rerum jacturam facies, ſi perdideris animam tuam, cumque redactus fueris ad ſummam egeſtatem, omnia lucraberis, ſi te ipſum ſalvum feceris. O te beatiſſimum ſi fluxa bona amittens æterna lucraris. *Dictionarium Morale.*

Luc. 19.

Divitiarum amor rationi æque ac fidei oppoſitus eſt.

Ratio non minus damnat avaritiam, & immoderatum bonorum amorem, quam fides. Neceſſe non eſt Chriſtianum eſſe, ut hujus cupiditatis mala cognoſcas: ſatis eſt rationis eſſe participem; quid enim magis a ratione abhorret, quam perdite amare bona, quę ſine culpa deperire non licet; quę nonniſi cum aviditate, ac injuſtitia potes congerere. Si hæc poſſides cum amore, illa cum ſollicitudine ſervas, illis ſordide abſtines, & times uti, illorum ſumma cum animi triſtitia jacturam facis. Quantacumque illa ſint, tuis non ſatisfaciunt deſideriis; & hæc immo in dies irritant. Viſus ne uſpiam eſt avarus, qui ſe ſatis divitem putarit? Bona nequaquam nos meliores efficiunt; immo ſæpe nequiores, numquam vero beatiores, quam antea fuimus. Qui modicos facit ſumptus, bonis ſuis minime fruitur; qui magnos, illis non fruitur diu. Adde his ſexcentos caſus nobis auferre poſſe bona, ac tandem omnia per mortem eſſe eripienda. Et ſane talia hæc bona poſſunt ne cum infinitis, æterniſque bonis comparari? *P. Nepveu, in Chriſtianis Animadverſionibus.*

Quo ſenſu divitiæ a fide damnentur.

Fides immodicum divitiarum amorem æque fortiter condemnat, ac ratio. Quomodone Chriſtianus

BIBLIOTECA CENTRAL

nus pati poteſt ſe ab hac poſſideri cupiditate, ac ſe Dei famulum profiteri? Num ignorare poteſt maledicta, quę Salvator jaculatur in divites terrenis hiſce bonis nimium inhærentes? quis autem hic dives eſt, qui opibus ſuis non inhæreat? Poteſtne hic totis artubus non contremiſcere, ubi ex ipſius veritatis ore audit, difficilius eſſe, quod dives in cœlum ingrediatur, quam quod camelus per acus foramen tranſiliat, ubi narrare vult miſeram hujus divitis ſortem, in quo non aliud ſcelus fuiſſe videtur, niſi quod nimis amanter poſſederit bona ſua, eaque non in bonum uſum impenderit? Sed quinam dives eſt, qui ſtatum ſuum non ſine humilitatis, timoriſque ſenſibus debeat reſpicere, ubi cogitat, hunc ſtatum eſſe prorſus oppoſitum illi JESU CHRISTI, qui vixit, & mortuus eſt pauper? Status oppoſitus ſtatui Filii Dei nonne reprobationis characterem gerit; & niſi deeſt fides, nonne iis, qui in illo verſantur, trepidandum eſt? Attamen in hoc ſibi complacet, atque ſuperbit. Verus Chriſtianus, qui fidem habet, quo ditior eſt, eo plura invenit ſibi timenda, propter quæ ſe ipſum humiliat. *P. Nepveu ibidem.*

Perituris inhærere bonis, hoc eſt ſibi inſolubiles nectere catenas in morte ſummo cum dolore infringendas.

Cum tanta ſollicitudine divitias inquiritis, quid aliud agitis, niſi quod recentes ſaluti veſtræ obices conſectamini? Quam difficile eſt magna habere bona, quin illis adhæreas? Sed illis adhærere citra noxam nonne impoſſibile eſt? Quod efficit, ut cupiatis opes, id ipſum efficere debet, ut illas timeatis. Illas cupitis dumtaxat, ut deſideriis, & cupiditatibus veſtris ſatisfaciatis; cumque pleraque deſideria veſtra mala ſint, & cupiditates veſtræ ſint ſemper injuſtæ, numquid illis ſatisfacere poteſtis, quin evadatis injuſti, quin animam veſtram objiciatis in interitum? Quid quæritis, cum majora quæritis bona? Quæritis multiplicare, & roborare vincula veſtra, eaque tamquam indiſſolubilia efficere, ſed neceſſario in morte infringenda. Quam vim non patietur homo, qui terræ tot vinculis adhæreſcit, cum ab illa erit ſeparandus? tantum vitę ac his perituris bonis hærebit, tantum extrema vitæ hora ſentiet viſcera ſua dilaniari; atque tunc dicere debebit, quod vetus quidam locuples: *Siccine ſeparas amara mors!* Itane, ſæva mors, omnia mihi eripis bona? *Idem.*

1. Reg. 15.

Divitiarum amor vitium eſt conditionum omnium, idcoque pauci hoc ſe crimine teneri putāt. *Jerem. 6.*

Avaritia peccatum eſt omnium conditionum: & nihilominus quotuſquiſque hoc ſe nomine accuſat? In omnes ſtatus irrepit, ſed tam ingenioſa, ac ſubtilis eſt, ut fere numquam aliquem conſcientiæ ſcrupulum cieat. Quantacumque adeſſe videatur integritas, audio Jeremiam dicentem: *A minore uſque ad majorem, omnes avaritiæ ſtudent: a Propheta uſque ad Sacerdotem, cuncti faciunt dolum.* In aliis ſunt apertæ injuſtitiæ, in aliis viæ parum honeſtæ, ac melius quodam urbanitatis integumento, meliuſque diſſimulatis prætextibus tectæ. *Dictionarium Morale.*

Nemo ſibi perſuadere poteſt ſe eſſe avarum.

Ubique inveniuntur avari, & nullibi, qui ſe avaros dicant, inveniuntur. Peccatum hoc omnibus regnat conditionibus; & nullus eorum, qui hac pice imbuti ſunt, ſe reum confitetur. Sacri Miniſtri Domini, fideles arcanorum conſcientiæ ſequeſtres, hoc ſatis noſtis. Quilibet propria cupiditate excæcatur, qui ſordide ſuas opes retinent, & impune alienas ſurripiunt, in profunda oblivione, & injurioſo ſilentio demerſi jacent. Prophetica imprecatio adimpleta eſt; ſimiles ſunt aureis, argenteiſque idolis, quæ ſibi conflarunt, & in quibus omnem confidentiam collocarunt. Idola hæc oculos habent, & non vident: Avari oculos habent, ſed peccatum ſuum non cognoſcunt. *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Ibidem.*

Avarus tā quam criminoſus, Quietiſmū reſpicit tranquillitatem, & pacem quā fruitur qui non eſt eidem crimini obnoxius.

Avaritiam ſemper ſequitur lethalis ſollicitudo ad ſarta tecta ſervanda, quæ poſſidentur atque mira feſtinatio ad uberem fructum ex iis percipiendum. Licet JESUS CHRISTUS ſuadeat: Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum: Nolite quærere, quid manducetis, vel quo cooperiamini; Avarus hanc mentis tranquillitatem inter vitia cenſet eſſe adnumerandam. Verum quidem eſt non omnem rerum temporalium curam nobis eſſe interdictam. Parentes quærite filiis veſtris, unde honeſte vitam ducere poſſint. Divites in id incumbite, ut bona veſtra tueamini, & quibuſdam in occaſionibus ut illa augeatis; hoc Deus vobis permittit; ſed ſibimet quodammodo peculiarem, & divinæ Providentiæ oppoſitam providentiam effingere; avide omnibus inhiare diteſcendi occaſionibus, quę ſeſe offerunt; nihil humile abjectumque negligere ad fines ſuos aſſequendos; coram hoc repere, coram illo mendicum ſimulare; alios fallere, aliis inſidias moliri; filiis honeſtum educationis genus negare: ſi quid accidit adverſi, nullum ſolatium admittere: hæc ea ſunt, quæ a Deo prohibentur. *Idem.*

Obduratio impœnitētia & deſperatio ſunt pars avari, ut Judæ.

Funeſtum Judæ exemplum, qui pro miſeris aliquot denariis Dei Filium vendidit, deberet procuIdubio homines a bonorum pereuntium aviditate divellere. Obdurationem, impœnitentiam, atque deſperationem hujus apoſtatæ recogitantes nihil nos terret; ſed ſi accuratius ad examen verum illius principium revocaverimus, omnia incredibilem nobis horrorem, terroremque debent incutere. Vendidit JESUM CHRISTUM, prodidit inimicis Magiſtrum, quo nihil illi eſſe debebat jucundius; Magiſtrum, qui triennio ſummum illi amorem teſtatus fuerat, & non exigua ſuæ erga illum ſingularis benevolentiæ argumenta præbuerat; Magiſtrum, quem ſexcenta operantem miracula viderat; Magiſtrum denique, quem vere Deum eſſe, quidquid in Cœlo, & in terra eſt, palam illi probaverat. Attamen illum vendidit, prodidit, tradidit inimicis ejus, & poſt tam atrox Deicidium ſe laqueo ſuſpendit, ac propriis manibus jugulatus vitam poſuit. O cupiditatem ſemper execrandam! Sed quid non audet homo qui dæmoni avaritiæ ſe mancipavit? *Dictionar. Morale.*

Divitiæ a Salvatore ſpinis comparantur, & quare.

Quia de cauſa putatis Salvatorem *ſpinarum* nomine appellaſſe divitias? Quia divitiæ ſunt funeſtum illud perfugium, quo cupiditates teterrimæ ſeſe recipiunt, non ſecus ac inter ſpinas ſerpentes, atque inſecta paſſim accubant. Rationem hanc D. Chryſoſtomus adfert. Quia divitiæ cruentant, lancinantque quidquid ad illas accedit, non ſecus ac nemo ad ſpinas poteſt accedere, eaſque attrectare, quin cruentetur. Ratio hæc eſt Origenis avaros dumis horrentibus comparantis, qui circumplectuntur, & laniant omnes obæratos, qui opem aliquam in egeſtate ſua percepturi ad illos confugiunt. Pauperes, qui ad hujuſmodi avidiſſimos homines acceditis, modicum illud, quod vobis reliquum eſt, ab illis vorabitur: ita vos impedient, & uſuris uſuras ſubnectent, ut ex manibus eorum elabi minime valeatis, niſi dilaniati, & cruore manantes. Verum potiſſima ratio, propter quam JESUS CHRISTUS, ex D. Auguſtini ſententia, ſpinis divitias comparat, hæc eſt, quia opes pungunt, & lacerant cor illas amantium: quia cuſpides ſuas in interiorem uſque animæ partem inferunt, atque adeo procedunt, ut illic graviſſima vulnera pariant, & nullam requiem relinquant. Quo magis calamitoſi illi ſe agitant, quo magis ſe vertunt, quo magis ſeipſos varietate, ac multitudine curarum conficiunt, eo altius in cor ſuum ſpinas infigunt, & quo altius illæ figuntur, eo minorem ipſi conſolationem, & pacem inveniunt. *Ibidem.*

Divitiarum amor prohibet ne JESUM CHRISTUM ſequamur.

Eorum plerique, qui ſeſe Deo devovere volunt, imitantur adoleſcentem, quem nobis exhibet Evangelium; pueritiam ſuam in innocentia tranſegerat, atque aſſuetus a puero ſedulę Legis obſervantiæ adſpirabat ad id, quod Salvatoris conſilia perfectiſſimum, & maxime heroicum poterant ſuadere. Ipſe JESUS CHRISTUS, qui vidit illum, ſtatim ſe erga ipſum amore affectum cognovit: omnia ſimul confluere videntur ad animam hanc ad eminentis ſanctitatis gradum attollendam. Verum ſecretus amor inanium mundi hujus bonorum, omne perfectionis opus evertit tunc, cum maxime confirmandum eſſe videbatur. Statim ac JESUS CHRISTUS illi propoſuit, ut ipſe illum ſecuturus divitias deſereret, hæc anima, uti habendi cupiditas dominabatur, ſtatim deterrita fuit ab eo ſtatu, in quo nihil ei poſſidere liceret; & triſtis abiit. Triſtis, Sancti Patres inquiunt, eo quod in corde ſuo divitiarum, & JESU CHRISTI amorem conciliare non poterat. *Fenelon Archiepiſcopus Cameracenſis in delectis Sermonibus.*

Stultus ſit, oportet, qui divitias deperit.

Nonne inſipiens ſit oportet, qui præſentem dumtaxat vitam cogitat, & omnino futuræ vitæ obliviſcitur, a qua ſumma pendet beatitudo! ut cogitet ſolum tranquille fallacibus terræ bonis lætari, & ne curet, ut ſeſe dignum præbeat bonis cœleſtibus, quæ ſola vera ſunt bona? Sed hæc ipſa inania bona, quæ hic inſipiens unice deperit, & quibus ſperat ſe annos plurimos perfruiturum, intra

ſtra aliquot momenta illi eripienda ſunt. Præſens hæc vita, quæ omnes ſuas occupat curas, & cancellos ſtatuit deſideriis ejus, intra paucas horas finem eſt habitura: hac nocte, dixit Dominus miſero illi, qui diuturnam, beatamque ſibi pollicebatur bonorum ſuorum poſſeſſionem: hac nocte repetent animam tuam a te ad meum tribunal rapiendam: animam hanc, quam ideo tantum creaveram, ut me diligeret, & cognoſceret, & quæ nihilominus res creatas dumtaxat amavit. Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te. *P. Segneri in Meditation.*

Homo ſuas opes diligens in morte magis de illis ſollicitus eſt quam de ſe.

Sed cujus erunt hæc bona, quæ tanto labore congeſta ſunt? *Quæ autem paraſti cujus erunt?* Nonne potius videntur a Deo diviti exponenda tunc fuiſſe ſupplicia, quæ ipſi deſtinata erant, quam ſuorum bonorum jactura, quæ poſt mortem ejus erunt fortaſſe obligurienda? ſed hujus rei cauſa hæc eſt, quod ille eſt Mundi ſectator; & homo terreſtrium bonorum mancipium rebus aliis minime afficitur? Cum hoc loquimini de bonis, & malis æternitatis, ſermonem hunc non intelligit; & majori dolore contabeſcit audiens, bona ſua poſt ipſius mortem in prodigas manus eſſe lapſuras, quam ſi diceretur eidem, ipſum poſt mortem in dæmonis poteſtatem venturum. *Idem.*

De ſecreto amore terrenorum bonorum.

Quomodonam vis perſuadere nobis ſibi eſſe cor ab omni cupiditate vacuum, tibique eſſe ſpiritus paupertatem Chriſtiano unice neceſſariam, cum nullum hujus rei nobis ſpecimen præbes? Fruſtra in his commentitiis abrenuntiationibus ad quas temet precibus excitas, confidis, cum interim effectus, qui pendent a te, verbis tuis non reſpondent. Hę fallaces ſunt proteſtationes, quas Deo facies, & quæ ipſum magis contra te irritabunt. Quo enim ore auderes Deo dicere, te præſto eſſe, ut illi reddas, quidquid ipſe tibi largitus eſt, quandoquidem illi negas perfunctoriam eleemoſynam in perſona pauperis; & quomodo præſto eſſes ad perferendas calamitates, quæ tuos tibi eriperent honores, bona, amicos, exiſtimationem? uti nihilominus præſto eſſe debes ſi vere animus tibi eſt a bonorum horum amore divulſus. Quomodo inquam haberes hanc in te ipſum poteſtatem, cum audiens indeſinenter prædicari inevitabilem eleemoſynæ neceſſitatem: mens, cui hac de re perſuaſum eſt, ſæpe invenit rebelle cor, quod nulla afficitur miſeratione? *Abbas du Jarry.*

Quam periculoſæ ſint divitiæ; mala, quæ illas ſubſequuntur.

Legi ſine horrore non poſſunt maledicta, quibus divites in ſcripturis ſanctis percutiuntur, & moralis impotentia ſalutem ſuam procurandi per celeberrimam illam comparationem cameli, & acus. Divites terræ, Principes mundi, qui omnem ſpem veſtram in mundi hujus bonis conſtituitis, ululate, quia corruptæ ſunt divitiæ veſtræ, & veſtros auri, argentique cumulos Deus abominatur. Væ vobis, qui iniquitatem, ac peccatum veluti in triumphum trahitis; Væ vobis, qui in ſingulos dies hæreditates hæreditatibus coacervatis! Væ vobis, qui de rore cœli, ac pinguedine terræ ſaginamini. Plena ſunt horrea veſtra, & cellaria veſtra redundant: ſed dies Domini adventat, tamquam fur, ut vos deprehendat in tenebris. Cum creditis pace tranquilla, & perfecta frui ſecuritate: cum dicitis; fruamur bonis noſtris; accedit mors quæ omnem vobis aufert ſpem vitæ tranquillæ, & beatæ. O vos inſipientes; hac ipſa nocte repetetur ex vobis anima veſtra: & paterfamilias contra ſervum nequam jure irritatus jubebit illum projici in tenebras exteriores, ubi tantam habebit cauſam ſuæ calamitatis deplorandæ, quantam habebat ſpem fore ut ejus felicitas ſemper eſſet duratura. Tunc ille intelliget, quam male omnem confidentiam ſuam conſtituerat in his divitiis iniquitatis, quæ in omnem æternitatem non proderunt; quam ad alendum æternum incendium, quo comburetur. *Abbas du Jarry, & recens Auctor.*

Eccleſiaſtici eſſe debent ab omni cupiditate vacui.

Ita eſt, Fideles, ne diſſimulemus; hæc avaritia omnibus ſæculis maximum fuit pietatis impedimentum. Eamque, ſi dicere fas eſt, in mundo in contemptum adduxit. Hoc Hæreticos ad dicendum impulit, eoſque in nos adeo eloquentes fecit. Abuſus hic, quem illi deprehenderunt in ſaniori Fidelium parte, nonniſi ob avaritiam Eccleſiaſticam ſtatum amplectendi ad honorificos ſibi reditus comparandos, ad inſignem dignitatem aliquam obtinendam, ad poſſidendum, ut inquit Propheta, Dei ſanctuarium in hæreditatem; ad familiæ bona augenda, æſtimandaſque dignitates, & beneficia tanti quanti reditus, ac ſtipendia æſtimantur. Aviditas hæc, quam in nonnullis Eccleſiaſticis deprehenderunt, hic ardor metendi temporalia, ubi ſeverant ſpiritualia, ſacris nequaquam ſeſe immiſcentes miniſteriis, neque illis curas ſuas impendentes niſi juxta menſuram emolumentorum, quę inde percipere poterant: Zelus hic adeo acer, & inquietus, quem in aliis obſervarunt, in juribus ſuis perſequendis, cum tamquam Principes aſſurgunt, & quærunt ſeipſos quibuſdam honoribus paſcere ſub ſpecie animas paſcendi: Hæc æmulatio, quam inter varias ſocietates deprehenderunt in prædicandis quibuſdam devotionibus quę illis utiles erant ob populos ad ſe trahendos: hæc omnia, o fideles, vulgatiſſima ſunt argumenta, in quæ Eccleſiæ inimici cenſuras ſuas exercuerunt, & in quibus triumpharunt. *P. Bourdalove in Dominicis.*

Integritas Apoſtolorum juxta imperium I. C.

Hac de cauſa Dei Filius mittens Apoſtolos ſuos ad Evangelium prædicandum volebat illos ſumma cum integritate operam ſuam ponere. Hac de cauſa etiam atque etiam illis commendabat, ne quærerent honores, neque dignitates, neque prima ſubſellia in regno ſuo quod eſt Eccleſia. Hac de cauſa Apoſtoli tantopere laborabant, ut in miniſterio ſuo obeundo omnem a ſe cupiditatis ſuſpicionem amoverent. Illis quippe perſuaſum erat, ſe alioquin animabus prodeſſe non poſſe, & ex quo in Apoſtolicis ſuis muneribus obeundis aliqua deprehenderetur cupiditas, omnem ſibi fidem ademptum iri, ac neminem ne aures quidem ipſis adhibituros. Hac de cauſa S. Paulus Corinthios erudiens oſtendebat illis characterem integritatis, quæ in omnibus ſui Apoſtolatus laboribus, efficiebat, ut ab omni humana cupiditate expeditus eſſet. Heu! Fratres, dicebat illis, conſiderate noſtram vivendi rationem, utrum nos inanis gloria, vel ſpes temporalium bonorum nos tangat. Quid adhuc recepimus, & quod ad hanc pertinet vitam, quem fructum ex noſtris laboribus hauſimus? Ceterum, concludit Apoſtolus, ſi hæc vobis dico, ideo dico, ut intelligatis, nos laborantes apud vos, vobis tantummodo laborare, non nobis; & vos ipſos tantummodo quarere. *Idem.*

Avaritiæ virus in omnes ſtatus ſe effundens efficit, ut omnem conſiderationem abjiciamus.

Hominum plerique pluris divitias faciunt, quam valetudinem, honores, exiſtimationem, patriam, affines. Cupiditas hæc omnem terræ faciem vaſtavit; nihil illam valet extinguere; omnia illam inflammant, viri, uxores, liberi, ſervi, divites, pauperes ad illam fovendam pro virili parte aliquid conferunt. Divitibus inexplebilis eſt aviditas, & licet omnes mundi divitias eſſent aſſecuti, numquam congerere ceſſant: Pauperes eos exæquare, immo etiam ſuperare vellent: hic furor eſt nullos terminos habens: hæc ægritudo omnem ſuſtulit amicitiam: non agnoſcuntur amplius amici, conſanguinei, propinqui; homines non amplius benevolentia proſequuntur filios ſuos, non uxores, ubi de re ſua agitur; fatalis hæc lues animos ſuo imbuit veneno. *Ex opuſculis S. Chryſoſtomi.*

Divitiarum amor cum virtute eſſe non poteſt.

Divitiarum amor tamquam crudelis tyrannus, atque non ferendus, vel tamquam ſcortum infame infinitis obruit malis eos, qui ſeſe illius ſervituti devovent. Sed quantumvis dura ſit iſta tyrannis, dulcis videtur, & amatur: quamvis quotidie videantur gladii vagina educti, aperta præcipitia, ſcopuli, ſupplicia, non lugentur illi, qui hujuſmodi bona ſitiunt, beati eſſe creduntur, omnes ſe hoc torrente trahi ſinunt; homines ſequuntur avaritiæ motum, & oblectantur eadem ferme ratione, qua animalia quædam limo, & ſordibus oblectantur. Licet hac ægritudine laborent, miſeriam tamen ſuam minime ſentiunt, ibique voluptatem inveniunt; non ideo tamen res hæc realis eſt, & effectiva voluptas; ſed illi rectæ rationis uſum amiſerunt, & in ſtatu magis miſero verſantur, quam inſipientes. Quomodo autem cupiditati adeo violentæ afferri medicina poteſt? Hoc fieret, ſi attenti eſſe vellent rationibus, quæ poſſunt afferri: divitiæ non faciunt, ut aliquis ſapientior ſit verecundior, temperantior, humanior, clementior, prudentior, magis ſobrius, minus in voluptates proclivior; non docent modeſtiam, non humilitatem, non aliam quamlibet virtutem, atque propter hoc inquiruntur. *Idem.*

Quare S. Paulus certum putet interitum eorum qui ſe mancipant avaritiæ.

Qui divites fieri volunt, Apoſtolus inquit, vincuntur Dæmonis tentationibus, incidunt in ejus laqueos & in deſideria noxia, vel inutilia, quæ ad-

adducunt homines in interitum. Verba illius apertiſſima ſunt. Et profecto nos admonet JESUS CHRISTUS. Cœli aditum fere invium eſſe divitibus ſæculi; quid ergo illis erit, qui divites fieri volunt? Nam præter temporalium bonorum amorem, qui illis eſt cum primis communis, nonne plurimis aliis criminibus ſunt obnoxii? Sola reſtituendi neceſſitas, cui perquam raro fit ſatis, ſigillum addit ſententiæ mortis, quam fert S. Paulus in eos, qui divitias depereunt; etenim diteſcunt ne umquam citra injuſtitiam? fere numquam. Et ſunt qui animum inducere valeant, ut ea abjiciant, quæ injuſte poſſident? fere numquam. Poſſeſſor injuſtus ſalvari ne poteſt niſi reſtituat? Nequaquam. Jure igitur ſuo tenet Apoſtolus, certum eſſe quodammodo eorum interitum, qui divitiarum cupiditati ſe mancipant. *P. Segneri Medit.*

Quam periculoſum ſit divitem eſſe.

Nemo nimis ſibi poteſt attendere contra divitiarum tentationem, ne omnino illa ſuperetur; contra illam videlicet inexplebilem terrenorum bonorum aviditatem, quæ in cordibus noſtris tot cient inquieta, ac inordinata deſideria; contra non ferendam ſuperbiam, quam illis inſpirant, a quibus poſſidentur; contra cæcam ambitionem, qua volunt, ut omnia pendeant a ſe, cum ipſi a nemine pendere velint; contra tentationem hanc, quæ illis ſuadet, ut bonis ſuis non utantur, niſi ut ſuis cupiditatibus faciant ſatis, & ut in omne nefas ruant; vel denique ut pretioſe aurum, argentumque ſuum in theſauris ſuis ſervent; illis ſacrificantes, ut ita dicam, omnes labores ſuos, vigilias, & curas, quin tamen unquam ea in illos uſus adhibeant, in quibus eſſent potiſſimum adhibenda; ſeu ut gratis dent mutuum illis, qui extrema laborant inopia, ſeu ut ægrotantibus omnium indigentibus ferant opem, ſeu ut ſtipem erogent pauperibus, ſeu ut ornent, & reparent aras, ac templa. Numquam ſatis Deum precari, ac obteſtari poſſumus, ut nos præſervet ab his omnibus noxis, quæ adeo familiares ſunt divitibus ſæculi, quos in eum ſtatum adducunt, ubi vix, & ne vix quidem poſſint ſalvari. *Ex libro cui titulus. Modus recitandi Orationem Dominicam.*

Divites immerito putant bona ſua pro ipſis tantū eſſe.

Intelligite quæſo, quam turpiter errent, qui putant ſe ideo divites eſſe ſuper terram, ut ſuperbi ſint, magnifici in veſtimentis, conviviis, & ſuppellectili. Vobis perſuaſum ſit, eos omnes, qui magnas poſſident divitias, coram Deo non aliud eſſe quam œconomos quibus magna hæc ideo credita ſunt bona, ut eorum ſint diſpenſatores ſecundum mentem illius; quæ eſt, ut ſicuti per divinæ providentiæ ſuæ legem, ſuppeditare pauperibus, quæ illius creaturæ ſunt, ea quæ ad victum ſunt neceſſaria; ita in divitum perſona præſto habeat fideles ſuorum conſiliorum miniſtros, cum illis relinquit omnium eorum bonorum diſpenſationem, quæ in eorum manibus poſuit. Unde ſequitur, nihil ex his magis opibus, quibus diſfluunt, nihil inquam nonniſi in pauperum auxilium eſſe impendendum, poſtquam uſi ſunt eo, quod ſibi familiæque ſuæ ſecundum Chriſtianæ prudentiæ regulas eſt neceſſarium. *Ex eodem libro.*

Sævitia creditorum in debitores ſuos.

Sine ulla miſericordia pauper in ære alieno poſitus jugulatur; ad extremum uſque quadrantem tota debiti æris ſumma repoſcitur, quacumque in neceſſitate debitor ſit. Nullæ audiuntur rationes, excuſationes, preces; oculi clauduntur, ne illius videatur calamitas: totius familiæ gemitibus aures obſtruuntur. Sed homo rationis particeps quam prætexere poteſt cauſam tantæ crudelitatis? Avaritiæ, cupiditati, habendi libidini numquamne deerunt prætextus? Crederent ſe injuriam facere filiis, hæredibus, familiæ, officiiſque ſuis, ſi aliquid de ære ſibi debito imminuerent. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitationibus, tom. 3.*

Errat, qui credit ſe Deo ſimul, & divitiis inſervire poſſe.

Divitiæ ſunt hoc idolum, cui omnes vota faciunt. Cupiditas theſauros theſauris agglomerandi tyrannus eſt, qui multa ſibi ſubjicit mancipia. Durus eſt dominus, qui præcipit imperioſius, & cui nonniſi cum maximo damno ſervitur; ſed tamen ſervitur. Verum poteſtne ſerviri Deo, tempore eodem, quo mundo ſervitur, quo ſervitur cupitati ſuæ, quo Deo divitiarum? Vel dicam melius, eo tempore quo cor traditur cupiditati quo illi requies, & ipſa valetudo ſacrificatur: nonne illi etiam æterna ſalus, & anima etiam ſacrificatur? Errorem tandem abjiciamus. Deus non patitur diviſionem. Si cor alterius eſt, ſuum non eſt. Nemo duobus ſimul dominis ſervire poteſt. Si alteri ſervitur, alter deferendus eſt. Nimis invicem oppoſiti ſunt; characteris ſunt nimium diverſi. Alterutrum amare eſt odiſſe alterum, quia officia, quæ poſtulant, ſunt ſecum pugnantia. Poſtulat Deus cor ab omni terreſtrium bonorum affectione vacuum; mundus vero poſtulat cor patens creatorum bonorum deſideriis. *P. Croiſet ibidem, Tomo 5.*

Avari mundi hujus divitias æternæ præferunt felicitati.

Infinitos ſibi theſauros acquirerent, non ignorant avari, ſi in eorum, quæ poſſident, partem vocarent pauperes: attamen ſervant pecunias ſuas, eaſque infodiunt. Præferunt voluptatem habendi terrenas opes divitiis, quæ illis promittuntur in Cœlo: geſtiunt potius ſeſe pœnis æternis objicere, quam ſuis carere theſauris. Hi ſunt effectus concupiſcentię oculorum: quia vim non habent affectibus ſuis imperitandi, accendunt intra ſe ignes, quibus devorantur; quo magis ſe contentos eſſe putant, eo ſunt miſeriores; hæc enim non extrema eſt Dæmonis ars aliquam immiſcere voluptatem doloribus, quos patiuntur, ut minus ſuam ſentiant calamitatem. Inconſtans eſt eorum ingenium: ſimul triſtes ſunt, atque gaudentes. *Ex Opuſculis S. Chryſoſtomi.*

Divitiæ, quæ in lege veteri fuerunt virtutis illecebræ, factæ ſunt hodierna die ejuſdē excidium.

Divitiarum amor in Judæis venia dignus erat, quibus Deus illas proponebat, tamquam fidelitatis illecebram, atque mercedem. Promiſſio, qua in ſingulas horas, ſe illos locupletaturum pollicebatur, erat veluti honorificum ſuæ æſtimationis indicium, quod norma eſſe poterat eorum affectui; & erraſſent, uti videtur, ſi mala crediſſent illa eſſe, quæ in ore Dei tamquam virtutis pretium habebantur. Sed turpis hæc cupiditas nullam hodie apud Chriſtianos excuſationem admittit. Divina Majeſtas mutato ſermone, jubet omnes homines mutare deſideria, & cum videtur Dei Filius tam crebro divites in Evangelio condemnare, ac in illos anathemata, & maledicta proferre, profecto ſin minus opes odiſſe tenemur, non deeſt ſane magna earum timendarum cauſa. Quod olim in prima lege aculeus fuit, & illicium virtutis, modo factum eſt vitiorum omnium radix, & fons. Quod in ordine Providentiæ cauſa erat, propter quam homines ſuo munere fungerentur, modo inſtrumentum eſt, quo dæmon utitur ad eos corrumpendos, atque perdendos: & hæ ipſæ divitiæ, quæ efficiebant, ut Dei Verbum audiretur, & fructum pareret in cordibus, ſecundum Salvatoris ipſius teſtimonium, ſuffocant illud, & prohibent, ne fructum aliquem ferant. *Ex vita Cardinalis de Berulle.*

BA-

BIBLIOTECA CENTRAL